63232/B PPc23

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

63232/B

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

SICELIUS, C.C.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30497851

S6

# DIATRIBE
# BOTANICO-MEDICA
# *DE*
# BELLADONNA
# *SIVE*
# SOLANO FV-
# RIOSO

AVCTORE
CHRISTOPHORO CONRADO
SICELIO
M. D. & Practico Nordhusano.

LONDON·MEDICAL SOCI



---

*JENÆ,*
APVD HENR. CHRISTOPH. CRÖKERVM,
M DCC XXIV.

VIRIS

*MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS, NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS DOMINIS*

# IOAN. HADRIANO SLEVOGTIO,

Hereditario in Ober-Roßla/

Med. D. Praxeos & Chimiæ P. P. O. Meritissimo, Medico Ducali Provinciali Jenens. hodie Pro-Rectori Magnifico, nec non Facultatis suæ Decano & Seniori.

# IOANNI ADOLPHO WEDELIO,

Phil. & Med. D.

Theoretices P. P. O. celeberrimo, Consiliario & Archiatro Ducali Saxonico, nec non Medico Ducali Prov. Saxo-Vinariensi.

# IOANNI IACOBO FICKIO,

Philos. & Medicinæ D.

Anatomiæ, Chirurgiæ ac Botanices P. P. O. Meritissimo, nec non Archiatro Ducali Saxo-Vinariensi.

# HERM. FRIDERICO TEICHMEYERO,

Phil. & Med. D.

Phys. Experimentalis P. P. O. Famigeratissimo & Medic. P. P. O. designato, nec non Archiatro Hatzfeldensi.

*DOMINIS PATRONIS ATQVE PRÆCEPTORIBVS AD MORTEM VSQVE COLENDIS.*

Salutem plurimam dicit

*Simulque exiguas has pagellas officiose offert*

CHRISTOPH. CONRADVS SICELIVS
Med. D.



Gnoſcite Viri celeberrimi æquo, vt ſoletis, animo, mihi hunc quem ſuſcepi conatum, quod ſcilicet incomta haccè exercitatiuncula Botanico-Medica, tantorum Virorum nominibus indigna, in conſpectu Veſtro compaream, & quod nominibus Veſtris ſplendidisſimis ea ornata atque præmunita, in lucem prodeat. Nemo quidem, vt ſpero, erit, qui ſolicite amplius ex me oblationis huius exquirit cauſam, ſiquidem ſtatim in limine dedicationis huius eandem detexi; Vos enim eſtis Patroni illi, quorum ſub clientela mihi, in celeberrima Academia veſtra ſtudiis meis incumbere, licuit. Vos eſtis omnes atque ſinguli venerandi Præceptores mei, ex quorum ore, in alma veſtra Salana ſtudiorum

*rum causa degens, pependi; qualiacunque enim in hocce studiorum genere sumsi incrementa, vt verum fatear, Vobis debeo. Vos posuistis arborem illam, quæ fructus hos, etiamsi exiguos, protulit, meliores pro ingenii modulo forte sperabitis; Carpite itaque, vt decet plantantes, fructus hosce, levidense munus, nec spem de vlterioribus proferendis plane deiicite. Quemadmodum autem hortulanus nouellam qui posuit arborem, eam aqua quotidie irrigat vsque dum virescit germinaque protrudit, & a frigore aliisve tempestatis iniuriis, hyeme præsertim ingruente, ea, qua potest, sedulitate defendit, ne inde lædatur, vel plane destruatur, ita & Vos Viri doctissimi doctrina Vestra incomparabili in omnibus Medicinæ partibus, iactis prius in Philosophorum scholis fundamen-*

*damentis philosophicis, me irrigastis & irrigatum dimisistis. Namque Tu Magnifice Pro-Rector, Anatomiæ, fundamenti Medicinæ principia mihi cum aliis, cadavera humana publice artificiose secans, tradidisti, quemadmodum & Botanices studium ex ore Tuo hausi. Singularem non minus veneror operam, & in docendo dexteritatem Tuam Magnifice VVedeli, quam publice in collegiis de morbis infantum, de morbis externis, de morbis mulierum, de febribus, nec non in physiologico rationibus atque experimentis innixo, privatim in pathologico-semiotico, formulari & methodo medendi sum expertus. Tu quoque Excellentissime Ficki publice me docuisti Pathologiam, Semioticam ad ductum Iodocci Lommii, adstiti quoque sectioni & demonstrationi publicæ cadaveris*

*fœminei a Te curiose habitæ, privatis vero parietibus Chirurgiæ ad ductum Dionis mihi dedisti instructionem. Sinceritas tandem Tua & in informando fidelitas Excellentissime Teichmeyere, non minimum contribuit ad studiorum meorum incrementum, publice enim mihi cum aliis proposuisti Medicinam legalem & Oeconomiam physicam, priuatim vero physicam experimentalem, Anatomiam, Chimiam, pathologiam & praxin vniuersalem. Sed nefas esset celeberrime VVedeli, si Illustris Tui Parentis nunc demortui, cuius tamen memoria apud me pluresque alios post mortem semper vigebit, plane obliviscerer, hic enim more solito fidelissime in omnibus fere Medicinæ partibus me instruxit, sedulo enim illi auscultaui docenti publice partem medicinæ diæteticam, medendi*

*di methodum, Chirurgiam medicam, Materiam medicam, Morbos imi ventris cum eorum curatione, priuatim Materiam medicam, Physiologiam acroamaticam, pathologiam practicam & praxin clinicam & sic magnum quoque studiis meis addidit pondus. Seuistis itaque, atque, vt dixi, irrigastis, quemadmodum ex antea recensitis clarissime apparet, nunc etiam à male volentium insultibus atque iniuriis hasce laborum Vestrorum fruges protegere velitis, est quod a Vobis maximopere rogo. Serena itaque fronte accipiatis, quæso, munusculum hocce chartaceum in memoriæ vestræ, amorisque mei erga Vos ac grati animi tesseram, nihil enim aliud, quod offeram habeo; Vilia quidem sunt, quæ continent hæ pagellæ, non tamen omnino nulla, nec Practicorum cuique facile oc-*

*le occurrentia adeoque vtilitatem quandam ſpargentia. Denique nihil magis in votis habeo, quam, quod Deus T. O. M. Vos omnes atque ſingulos vna cum ſplendidisſima Veſtra familia diu ſoſpites atque incolumes in Academiæ ornamentum, ſtudioſæ iuuentutis, & artis medicæ incrementum, nec non ægrotantium ſalutem conſeruare velit. Interea tenuitatem meam cuique Veſtrum ad ſpecialem beneuolentiam etiam atque etiam commendo, qui ſum nominum Veſtrorum celeberrimorum*

*Cultor humillimus*

C. C. S. M. D.



# PRÆFATIO.

ARtis medicæ neceſſitas, atque præſtantia ſi vllibi vna cum emolumento ex ea in vniuerſum genus humanum redundante elucet, maxime in parte eius antiquisſima, Botanica nempe id cernere licet; Siquidem totius huius artis initium in notitia quadam paucarum herbarum, atque radicum, earumque virium, a Viris ſolertisſimis ſucceſſiue obſeruatarum, conſtitit, hiſtoria medica veterum hoc teſtante. Quibus temporibus anguſtis terminis ars ſalutaris adhuc fuit concluſa, donec tandem die diem docente magis magisque increbuit, & in campum latisſimum, vnius hominis ætate & diligentia vix peragrandum ſeſe diffuſit. Quam vero hoc loco præcipue attendimus vtilitatem, illa eſt, quæ maxime in vita communi & ipſa etiam culina ſe exerit; Botanica enim mediante notitiam ſibi compararunt mortales herbarum, olerum, fungorum, radicum, ſeminum, leguminum & fructuum omnium, quibus quotidie ad

ex

exſatiandum ſtomachum latrantem vtuntur, eaque ab aliis diſcernere didicerunt, quæ alimentum commodum præbent, eorumque ſubſtantiæ facile & ſine damno asſimilantur. Altera vtilitas ex eadem ſcaturigine promanans eſt cognitio vegetabilium, amiſſam & languidam ſanitatem reſtituentium vel adhuc integram conſeruantium, hoc eſt earum plantarum, quæ in vſum medicum ad varios profligandos morbos quotidie a Medicis adhibentur. Accidit his denique tertium commodum, notitia nempe eorum, quæ corpori qualicunque modo nocent, quorum cognitio æque neceſſaria recte cenſetur ac priorum; ſiquidem vſum præſtat (1.) in vita communi, ne exempli loco pro petroſelino vel cerefolio, herbis illis culinariis notisſimis & optimis ex errore & ignorantia aſſumatur cicuta cum euentu ſatis triſti: Exemplo ſit ille caſus, qui contigit Ratisbonæ Anno MDCCXXII. Menſe April. teſtantibus literis publicis, ibi enim tres ſtudioſi radicem cicutæ recentem, quam ipſi effodiunt, aſſumſerunt ad leuandam ſitim, corpore prius pilæ luſu probe exagitato, quorum duo priores, qui notabilem deuorarunt quantitatem paulo poſt vitam cum morte commutarunt, tertius vero, qui non adeo multum comedit, in maximum incidit delirium, quam ob cauſam curæ

Medi-

Medici eſt commiſſus, an autem euaſerit, nec ne, neſcio, quoniam hoc ipſum non eſt relatum. Vt taceamus alios ſatis graues errores hinc inde notatos. (2.) Summum habet vſum notitia eorum, quæ venenatam obtinent qualitatem in ipſa Medicina, non enim vnice vulgus & qui in culinis habitant errant, ſed ex negligentia Medicorum & præcipue eorum, quibus pharmacopoliorum cura,& diſpenſatio præſcriptorum medicamentorum eſt commiſſa, errores deteſtandi hinc inde animaduertuntur, de quo & ipſa noſtra tractatio in præſenti exemplum dabit. Vt autem illum, quem hoc noſtro inſtituto intendimus finem, gloriam nempe ſummi Numinis, proximi commodum & ſtudii medici incrementum, aſſequamur, ſacroſanctam Trinitatem ſupplices exoramus.

*Bellam deſcribis donnam, qua ſæpe puellas*
*Oenotrias facies excoluiſſe iuuat;*
*Hac Tibi non opus eſt, ſcripta hæc fucare, decore*
*Artis enim Medicæ comta nitore nitent.*

Hæc doctiſſimo Domino Autori, in debiti honoris ſinceræque amicitiæ τεκμήριον ſcribebat

FRIDR. CHRISTIAN. LESSER.
Nordhuſ. Paſt. ad mont. Mar.
in patria.



Arte Machaonia multum celebrate SI-
CELI,
Coniungens vſum cum ratione cata:
Pulcre rimaris regnum mirabile Floræ,
Et mala mixta bonis rite cavere doces:
Dum ſolide exponis fucos, rabidamque SOLANI
Sævitiem, cerebro, viſceribusque mali.
Doctæ igitur menti, manuique adplaudere fas eſt,
Et merito eximia laude vehendus eris.
Non etenim nubes tua mens, & inania captat;
Sed rem tangit acu, multaque bella monet.
Sic olim prudens artem experientia fecit;
Sic ars prudentes, ſollicitosque facit.

*Amica mente, manuque gratulabundus ſcripſit*

IO. HENR. STVSS
Pædagogii Ilfeldenſis
Pro-Rector.

CAP. I.


Bellædonnæ Icon



# CAP. I.

## De Bellædonnæ consideratione botanica, & de variis Solanorum differentiis.

### §. I.

SI quid ſtudia, atque diſciplinas maioribus inuoluit difficultatibus, easque obſcuras reddit, certe, multa ſynonima vni eidemque rei impoſita, illud efficiunt, quibus non ſolum diſcentium memoria confunditur, ſed variæ quoque ſibi inuicem contrariæ enaſcuntur auctorum opiniones, atque ſententiæ, quas errores haud leues ſæpiſſime preſſo pede ſequuntur. Eiuſmodi fata præ aliis diſciplinis atque ſcientiarum generibus experitur ad hodiernam vſque diem botanica, vegetabilium cognitionem botanophilis tradens; Modo enim plantam conſideres viliſſimam, quam quotidie obviam pedibus calcamus, quamplurimas quæſo

obtinuit illa denominationes, non ſemper ſibi proprias, ſed apud alium auctorem homonimice aliam plantam ſignificantes. Hæc animo perpendentes, dum mens nobis fuit, pauca quædam de belladonna, ſolanorum ſpecie, planta alias quidem nota, noxia tamen, typis tradere, multifarias prius ſolanorum ſpecies, vt appareat, quæ plantæ apud auctores hoc nomine veniant, euoluere conſtituimus, ne his neglectis hæcce noſtra tractatiuncula obſcuritatem quandam atque confuſionem fouere videatur, & tandem ad illud, quod noſtræ iam eſt tractationis ſubiectum, ſolanum nempe furioſum ſiue bellam donnam alias etiam ſolanum manicum dictum, nos conuertemus.

§. II.

Chabræus in ſciagraphia ſtirpium pag m. 522. & ſeqq. varia ſolanorum recenſet genera vt:

1. Solanum illud officinarum, quod ſolatrum quoque nominatur item vulgare & vua lupina Germ. Nachtſchatten-Kraut, Gall. Morelle, Ital. Solatro.
2. Solanum halicacabum, alias veſicarium dictum; item Alkekengum. Germ. Juden-Kirſche, Gall. Bagvenaudes, Ital. Halicacabo.
3. Solanum halicacabum indicum, quam herbam concordiæ, & florem noctis vocat, & non niſi in cultioribus hortis inueniri aſſerit, ideo florem noctis a nonnullis dici affirmat, quod tenebras velut horreſcens, nocte clau-

datur

datur, ſole vero aduentante diducatur vid. Chabræus l. c.

4. Solanum ſomniferum, verticillatum ſolanum quibusdam dictum, cuius mentionem etiam facit Matthiolus fol. 377. Herbarii.

5. Solanum manicum, quod a celeberrimo Domino Georg. Francken de Franckenau in Flora Francica rediuiua vocatur ſolanum furioſum, ſolanum ſyluaticum vel ſylveſtre, στρύχνον manicum, bella donna, ſolanum μελανοκέρασον. Germ. Doll-Kraut, Nachtſchatten mit ſchwartzen Kirſchen, groſſer doller Nachtſchatten, Wald-Nacht-Schatten, tödtlicher Nachtſchatten, Wollffs-Beere, Wind-Beere, ſchöne Frau. Huius ſolani furioſi tres ſpecies videri poſſunt delineatæ & diuerſæ apud Chabræum p. m. 523.

6. Solanum arboreſcens ſeu στρυχνοδένδρον C. B. P. quod colitur in hortis & fructus habet adinſtar halicacabi: vid. ſupra citatus Auctor l. c.

7. Refertur huc quoque a nonnullis ſolanum τετραφύλλον ſ. quadrifolium dictum item paris & vua inuerſa, quod tamen melius peculiare plantarum genus conſtituit

8. Solanum ſomniferum Lobelii alias Mandragora.

9. Solanum ſcandens; Dulcamara; ſolanum γλυκυπικρὸν, amara dulcis, Je länger je lieber, Hinſch-Kraut, quod ſolanorum charactere ſecundum recentiores gaudet; ideoque

recte huc refertur. Vocatur quoque solanum lignosum.

10. Solanum adhuc aliud fötidum dictum ab eodem citato Auctore adducitur pomo spinoso oblongo gaudens, stramonea maior, vel stramonium maius album rectius dictum; siquidem aliud plantarum constituit genus, gaudet enim flore regulari monopetalo & capsula quadripartita. Germ. vocatur: Stech-Apffel, Dorn-Apffel.

11. Solanum tuberosum esculentum C. B. P. melius refertur inter genuina salana. Germ. Tartuffel oder Erd-Apffel.

12. Solanum pomiferum fructu incuruo oui vel cucumeris magnitudine, cuius fructus vocantur a nonnullis mala insana, sed minus recte, quia comesta non excitant furorem, secundum Chabræum l. c. pag. 524. perperam etiam vocari poma amoris scribit, judice Ruellio, nisi quæcunque pulchritudine & elegantia placent eo nomine digna censeamus.

13. Huc referuntur recte poma illa aurea vel amoris dicta & apud nos nota a Matthiolo fol. 378. Melanzan dicta, Lycopersicum Galeni fructu aureo striato, vel rubro non striato. Denique

14. Solanum aliud pomiferum fructu spinoso, malorum insanorum speciem huc referunt, quod colitur in hortis Italiæ testante Chabræo, cuius fructibus partim longis, partim rotundis vtuntur helluones. Ibidem in ace-

tariis

tariis, ſed deteriorem eius ſuccum judicat quolibet pepone aut cucumere.

§. III.

Sed hæc ſaltem tetegiſſe ſufficiet, ne nimis prolixi videamur, ideoque paulo propius accedimus ad inſtitutum noſtrum & reliqua ſolanorum genera vera quidem & ſecundum characteres Botanicorum recte ſic dicta negligentes, ad ſolanum illud ſpurium, cuius character minus conuenit cum veris ſolanis, vti ex deſcriptione eius inferius patebit, quod noſtræ iam eſt conſiderationis, ſolanum nempe furioſum ſ. manicum nos conuertimus, quod aliud plane ſecundum recentiores plantarum genus conſtituit; Vera enim ſolana ſecundum illos ſunt plantæ perfectæ gaudentes flore regulari monopetalo, ſeminibus tectis, bacca ſiue fructu molli polypyrena, quantum itaque deſcriptio bellædonnæ conueniat & quantum diſcrepat infra videbitur.

§. IV.

Chabræus l. c. bellamdonnam ita deſcribit: Ex radice craſſa tribus cubitis altiores caulis erigit, pollice craſſiores, hirſutos, qui in tuber craſſeſcentes in multos ramos indidem fere exortos brachiantur. Folia ſolani formam habent, ſed multo maiora ſunt & minime ſinuoſa, vtrinque piloſa, ſuperne atro-virentia, inferne fere herbida. Flores ſtriati ex foliorum alis concavi, campanularum inſtar in quinque lacinias diuiſi, colore intus quidem lurido pur-

pureoque, fundo luteo versicolore; extra vero tantillum ex herbido *rubescentes*, subhirsuti cum apicibus albidis. Decedentibus vero floribus insident hirsuto quinque partito calyci baccæ nitidæ herbæ paridis. Et hoc est solanum nostrum manicum, de quo nobis in posterum sermo erit, quod satis exacte Auctor noster descripsit: Duplicem quidem adhuc præter hanc solani manici figuram delineari curauit ibidem videndam, quam quidem omittimus & potius hanc nostram bellamdonnam iuxta recentiores ita describimus, latiorem Chabræi descriptionem contrahentes: Est planta perfecta constans flore perfecto irregulari, simplici, monopetalo, seminibus tectis, bacca polypyrena, foliis, si addere placet, maioribus margine integro constantibus planis, exterius herbaceum colorem obtinentibus, interius atro-virentibus.

§. V.

Superfluum iudicamus, quod huius descriptionis singula membra latius explicemus, siquidem modo autopsia huius plantæ accedat, hæc omnia facillime intelligi poterunt, præsertim a rei botanicæ secundum characteres Neotericorum non ignaro, qui vero huius studii principia quasi in compendio conspicere desiderat euoluat modo Hermanni Friderici Teichmeyeri Profess. Med. & Phys. in Academia Jenensi Præceptoris nostri quondam honoratissimi Elementa philosophiæ naturalis experimental. Cap. IX. de Plantis, qui laudatus Auctor vlterius hunc in

finem

finem commendat Ioh. Raii Methodum plantarum emendatam & auctam it. Riuini Introductionem in rem herbariam.

§. VI.

Pergimus itaque potius ad alia, locum huius plantæ nostræ natalem considerantes. Quemadmodum vero singulæ plantæ solo sibi suæque naturæ & temperiei minus contrario, sed potius appropriato & conuenienti gaudent; Nam plantæ succulentæ & pingues non proueniunt in montibus locisque aridis & lapidosis, sed potius in locis humidis atque vliginosis & contra; Aquosæ plantæ non crescunt in syluis, agris & locis saxosis, sed potius in paludibus & stagnis; ita quoque belladonna nasci amat in syluis frigidioribus & opacis, vbi sponte prouenit & copiose interdum inuenitur. Hieronimus Tragus ad huius asserti confirmationem scribit, huius non baccis, sed surculis, sicuti sambuci montanæ ceruos mirifice delectari. Vid. Ioachimi Camerarii Reipubl. Norimberg. Medici Hortum medicum & philosophicum pag. 162. Iohann. Thalius in Hercyniis Saxo-Thuringicis pag. 105. ita differit de loco natali huius plantæ: Solanum Syluestre seu lethale, quod morion s. mandragora Theophrasti quidam esse autumant, quia exacte cerasa æmulatur ipsum quandoque soleo στρύχνον μελανοκέρασον appellare. In Monte altissima prope Ilfeldam Hertzbergi nomine curiose reperitur, vt & in radicibus eius quandoque, item in ingressu specus subterranei

 aquosi,

aquosi, qui circa Bischofferodam villam est non procul ab Ilfelda, quam vocant die neue Kelben, sunt verba ipsius Thalii, quæ locum natalem plantæ quod scilicet in syluis sponte proueniat confirmant, semper enim in syluis cæduis & frigidioribus inuenitur belladonna & ibi inuenta, maior atque succulentior deprehenditur. Etiamsi quidem hæc loca sint montosa tamen non sunt arida sed frigida, arboribus atque fruticibus plena, & sic facile iam citatus Thalius nobiscum consentit.

§. VII.

Tempus florendi, quod attinet, floret hæc planta plerumque Iunio, vbi vt diximus florem perfectum, irregularem, simplicem profert. Perfectum ideo dicimus florem, quia constat ex omnibus his quatuor partibus, quæ requiruntur ad florem perfectum, nempe ex petalo siue folio, staminibus, antheris & pistillo. Et quia, si sponte hic flos decidit, vnum saltim obseruatur petalum, dicitur ideo flos monopetalos. Est porro plantæ huius flos irregularis, quia petalorum eius laciniæ minus æquales obseruantur, sed magnitudine a se inuicem differunt. Simplex porro dicitur flos, quia non prout alii flores compositi ex pluribus flosculis minoribus constat, sed vnicus saltim est flos maior.

§. VIII.

Floris huius color considerandus porro erit, qui tam secundum Chabræum, quam ipsam quo-

que

que ocularem inſpectionem eſt purpureus ad luridum tamen & obſcurum colorem vergens. Odor eorum eſt graueolens, qui tamen graueolentia ſua hyoſcyami florum odori cedit. Semina gignit hæc planta tecta, non quidem ita, ac ſi in peculiari quadam capſula ſiue ſilicula, ſiue ſiliqua ea foueat, ſed quia carnoſa eius baccarum ſubſtantia occluduntur & in iis ad maturitatem perueniunt, quam ob cauſam, hæc planta etiam minus inepte appellari poterit carnoſa & ſpecialius adhuc planta baccifera. Bacca huius vegetabilis porro dicitur polypyrena in deſcriptione noſtra quia ſcilicet multos acinos in ſeſe continet. Folia ſolani foliis ſunt ſimillima, niſi, quod magnitudine multum ea excedant, quæ vt diximus exterius viridia ſunt, interius vero viridem quoque obtinent colorem, ſed paulo obſcuriorem.

§. IX.

Conſideratis hactenus floribus, ſeminibus, baccis & foliis huius vegetabilis reſtat thyrſus, qui iuxta ſæpe citatum Chabræum & propriam obſeruationem in altum excreſcit & interdum longitudine hominis mediocris ſtaturam adæquat ſatisque eſt craſſus & in quamplurimos ramos diuiſus. Tandem ad radicem ejus deuoluimur, quæ ſatis eſt craſſa & dura & quoad formam externam ipſamque interiorem ſubſtantiam multum conuenit cum ipſis cichorei radicibus, cum quibus etiam a rhizotomis inexpertis vel negligentibus, varia inuicem, dum

autumno vel verno tempore radices effodiunt, commiſcentibus, confunditur. Vnde intentiore cura adhortamur Pharmacopoeos, aliosque artis medicæ cultores, ne, ſi quando, vti fere fit, vetulæ illæ rhizotomæ in foro venales exponunt herbas & radices, vel de domo in domum venales apportant, decipiantur; Solet enim hoc genus hominum vt plurimum miſcere conchylia turdis. Nam obſeruauimus, quod varia iis forſan in campo vel ſylua obuenientia ſimul apportauerint, quæ deinceps vulgo diris in morbis commendare ſolent, nimis enim ſibi ſuæque ſapientiæ fidunt & putant, ſe facile hæc iterum diſcernere poſſe, vnde fit, vt non raro hæc radix inter cichorei radices ab illis effoſſas inueniatur. Qui tamen error, facile euitari poteſt, ſi illis iniungimus, vt ſimul cum herba easdem apportent.

§. X.

De tempore collectionis huius plantæ pauca adhuc monenda reſtant. Non quidem negandum, quod in officinis pharmaceuticis perpaucis inueniatur hæc planta, ſiquidem raro vel nunquam in vſum medicum trahitur vel a Medicis præſcribitur, nonnullis tamen in locis radix eius aſſeruatur ſub nomine Doll-Wurtzel, in vſum veterinariorum, qui neſcio in quibus equorum & pecudum morbis illam ſæpe & in notabili quantitate deſiderare ſolent. Vnde quod iam alibi nempe in diſſertatione noſtra de officio Medici ſpeciatim ordinarii circa

per-

personas inspectioni suæ demandatas Cap. III. de officio Medici circa Pharmacopœum §. III. pag. 15, monuimus, hic paucis repetimus, quod radices huius plantæ prout aliæ in autumno vel veris initio quando deflorescunt vel herbascere incipiunt colligi debeant. Reliquæ huius plantæ noxiæ partes vel plane non asseruantur & negliguntur vel admodum raro in vsum veniunt, nec præparata vel inde composita habentur.

§. XI.

Ne vero aliquid omisisse videamur pauca quædam adhuc annectere volumus de etymologia & deriuatione variarum huius plantæ denominationum. Dicitur hæc herba solanum cognomine furiosum, latino nomine, quod habet Plinius, vnde vero hæc denominatio deriuetur, silent vtplurimum auctores vel quæ adducunt satis dubia sunt & male quadrantia, ita facile & nos, dum res leuioris est momenti, veniam huius rei impetrare possemus, si hoc intactum relinqueremus, nisi saluo tamen aliorum iudicio statuere vellemus, quod a solari trösten, besänfftigen, lindern, vel a substantiuo solamen commode deduci queat, siquidem vt notum est, ob vim partim demulcentem & emollientem, partim etiam refrigerantem & aliquo modo anodynam, quam obtinet solanum illud officinarum, quod vocant Nachtschatten, partes doloribus admodum cruciatæ & inflammatæ levantur & solantur doloresque inde quam maxi-

maxime consopiuntur, qua de causa accentus a plerisque non inepte collocatur in penultima syllaba. Furiosum vero cognominatur hoc nostrum solanum spurium ideo, quia vel casu vel ex errore assumtum, mentem hominis alienat, sensus stupefacit & quasi furibundos reddit, de quo in Cap. seq. plura Manicum porro dicitur solanum cognomine græco, quod a græco adiectiuo μανικὸς, insanus, furiosus, a primitiuo μανία furor, insania oriundo, propagatur. Porro ςρύχνον siue solanum μελανοκέρασον cognominatur, quia baccas profert nigras, cerasis haud absimiles. Italicam illam denominationem, quæ in lingua romana hodie fere recepta est, belladonna, vel vt alii præcipue Chabræus hanc vocem pronunciant belladonna, ideo huic plantæ assignatum esse, autumat Ioachimus Camerarius in horto medico & philosophico pag. 162, ex quo illud etiam adducit Chabræus l. c. quod succo illius mulieres italicæ faciem decorare soleant, quo respectu Germani hanc plantam schöne Frau, verosimiliter appellant.

## CAP. II.

## De Viribus, vsu, effectu & phænomenis ab esu vel assumtione bellædonnæ resultantibus.

§. I.

Vires solani furiosi quod attinet, illæ admodum

dum ſunt obſeruatæ hoſtiles & corpori humano noxiæ, ideo recte ad venena relegatur hæc planta. Intelligimus autem per venenum omne illud, quod per os aſſumtum vel ab extra corpori cuicunque viuenti citra violentiam aliam applicatum, ſiue ſubito, ſiue lento gradu, vel integræ machinæ, vel ſpeciali ſaltim parti per ſe labem infert vel eandem plane deſtruit.

§. II.

Triplicis autem generis notantur venena, deſumta vel ex regno minerali, vel animali, vel vegetabili. Ex regno minerali deſumta magis ſunt corroſiua ipſisque partibus ſolidis noxam inferunt, præcipue vero dum aſſumuntur ipſum ventriculum & inteſtina corrodunt & inflammant, donec ſphacelus vitæ finem faciat: Talia vero ſunt præ cæteris ☿♎, Arſenicum, cobaltum &c. Ex regno animali varia quoque habentur venena, quorum pleraque corpori viventi in ſpecie humano per morſum vel ſaliuam communicantur, qualia ſunt morſus canis, hominis vel etiam lupi rabidorum, punctura aranei, ſerpentum, viperarum, ſcorpii & tarantulæ ictus. Huc quoque pertinet aſſumtio cantharidum, vermium maialium immodica, quæ omnia vim ſuam veneficam quam maxime communicant humoribus vitalibus. Quæ vero ad vegetabilium claſſem pertinent varia ſunt venena, vt cicuta, napellus, aconitum, ſtramoneum, datura, colchicum, fungi venenati varii &

ipſum

ipſum noſtrum ſolanum furioſum, quæ ſpiritibus noſtris ſatis aduerſa deprehenduntur.

§. III.

Nocent autem hæc venena, vel aſſumta, vel ab extra corpori illata ſecundum dicta, inde diſtinctio enata eſt inter venena interna atque externa. Ad priorem claſſem omnia fere referri poſſunt, paucis exceptis. Non vero omnia venena interna æque nocent, ſi exterius tantum admoueantur; in ſpecie vero ab animalibus deſumta venena ſiue per ictum ſiue per morſum vel alio modo corpori communicata ad claſſem poſteriorem referri debent, quorſum etiam ſpectant tela venenata. Plurimi quoque, ſi non omnes ex viris eruditione præclaris aſſeuerant, quod famoſiſſimus ille puluis ſucceſſionis, Gall. poudre de la ſucceſſion, dictus itidem mumiale & fermentificum ſit venenum, ex animali regno deſumtum, quod mediante putrefactione vel fermentatione animalium quorundam vel partium ſaltim ab animalibus deſumtarum per chimiam adeo volatile ſit redditum, vt deinceps literis inditum, vel chirothecis aliisque vtenſilibus inſperſum vel affrictum, in poros corporis humani ſeſe inſinuare ſuique multiplicationem efficere poſſet, donec ipſum corpus lente marceſcit aut ſubito pro varietate eius compoſitionis & mixturæ enecatur. Huc quoque pertinent die ſo genannten Stinck-Lappen, welche bey Belagerungen in die Graben oder trenchees geworffen werden, ſo nicht nur einen

nen greulichen Gestanck, sondern auch gar die Pest unter denen Soldaten verursachen können.

§. IV.

Porro non accedere debet violentia alia, alias venenum non est proprie sic dictum, in specie talis violentia, quæ partes secundum naturam vnitas disiungit & dilacerat, quo ipso tamen non negamus, quod dentur tela venenata, sed saltim affirmamus, quod hoc modo vulnerati non ex vulnere pro re nata, sed potius ex veneno, quod telæ vel sagittæ per accidens accessit, moriantur. Deinde sunt venena vel brevi temporis spatio necantia vel cum mora. Quæ breui temporis spatio id præstant, sunt primario mineralia & corrosiua, partibus enim integrantibus principalibus machinæ corrosis & destructis, necesse est, vt integra breui corruat machina.

§. V.

Vlterius venena dantur omnibus animalibus, nullis exceptis, nociua, qualia sunt corrosiua illa, quæ omnia animantia & ipsum hominem necant; vel aliquorum saltim animalium vitæ insidiantia v. g. nuces vomicæ, quæ tantum necant animalia, quæ clausis luminibus suis in lucem prodeunt, hominibus vero non æque nocent, quia euacuandi fine tuto adhiberi possunt. Ita quoque non omnibus corporis partibus eadem nocent venena exemplo cantharidum, quæ in solam vesicam suum exercent virus &c. Idem

erit

erit cenſendum de ipſa belladonna noſtra, quæ, etſi a veterinariis vt diximus Cap. præcedenti, equis & pecoribus tuto adhibetur, tamen corporis humani principiis vitalibus, in ſpecie humoribus & ſpiritibus admodum inimica deprehenditur.

§. VI.

Ita quoque corpus vel labem aliquam inſignem a venenis ſentit, vel plane deſtruitur e. g. mens cum ſenſibus tam internis quam externis ita turbatur, vt vel plane non, vel difficillime ad minimum priſtinam aciem acquirere poſſit, quale quid proh dolor ſæpiſſime a propinatis philtris obſeruandum eſt; Vel corpus, viſcere quodam primario, & ad vitam conſeruandam ſumme neceſſario, affecto, in ſummam & immedicabilem incurrit atrophiam, quæ tandem, licet lento gradu hoc fiat vitæ finem facit; Vel ipſa mors, viſceribus plane deſtructis aut humoribus vel reſolutis vel coagulatis & ſpiritibus fixis in continenti acceleratur.

§. VII.

Denique venena ſunt vel per ſe, vel per accidens talia. Per ſe talia ſunt ☿≏, arſenicum album, citrinum & rubrum, cobaltum, morſus beſtiarum allegatarum rabidarum & ipſius quoque hominis rabidi, vbi per ſaliuam mediante morſu communicatam venenum quoddam poſitiuum communicatur, item alia ex vegetabilibus aſſumta, vt napellus, cicuta, ſolanum furioſum noſtrum &c. Per accidens varia ali-

as lau-

as laudatiſſima medicamenta fieri poſſunt venena, vt purgantia & vomitoria maiori doſi & inconuenienti regimine adhibita, quæ tunc hypercatharſin facile mouent; item anodyna vel potius narcotica, opium, cantharides ſi doſin excedunt, helleborata, colocynthiaca, mandragora, hyoſcyamus, nuces vomicæ, cyclamen, cucumer aſininum, elatericum, eſula, poma amoris &c. quæ omnia, vt hic recenſeamus ſuperuacaneum eſſet, ideoque hic potius ſubſiſtimus; ſufficiant enim hæc de venenis in genere prolata pro noſtro inſtituto, vt eo facilius, quæ nunc in ſpecie de belladonna dicenda erunt, intelligi queant.

## §. VIII.

Verum vtique eſt, de quo & ipſe Medicorum ætatis ſuæ Princeps beatæ memoriæ G. W. Wedelius conqueritur lib. de medicamentorum facultatibus cap. de antidotis ſpecialibus pag. 168. quod plurima mendacia hinc inde in libris de venenis contineantur & illa tum venena, tum præſidia præſcribantur, quæ nunquam vel viſa, vel viſitata, vel applicata fuerunt: Hinc veteres multifariis experimentis adhuc deſtituti, nec chimia adeo, prout hodie eſt exculta, ☿ pro ſummo veneno habuerunt. Ita a Macaſio in promptuario materiæ medicæ multa inter venena recenſentur, quæ nunquam venena ſunt, vel per accidens ſaltim ab vſu peruerſo corpori

humano nocere poſſunt, vt cyclamen, cucumer aſininum, euphorbium, mandragora, nux vomica, opium, ſcammonium, bufones, ſanguis menſtruus, argentum vivum, ceruſſa, hyoſcyamus, helleborus albus, elaterium &c. & eorum antidota ſimul præſcribuntur: Vel plane non ſunt venenatæ naturæ, quemadmodum coriandrum, helleborus niger & ſimilia. Quæ tamen omnia, quia non ſpectant ad ſpeciale propoſitum noſtrum miſſa facimus, de ſola belladonna in poſterum dicturi.

## §. IX.

Vires huius plantæ, quæ recte ad venena per ſe talia refertur a priori, nempe a qualitatibus eiuſdem in ſenſus incurrentibus, difficillime, vel plane non cognoſcuntur, niſi ex colore florum atro-virente & obſcuro foliorum, concludere vellemus, illam continere 🜍 quoddam, vti re vera eſt, impurum, ſpiritus animales obnubilans & diſturbans, id quod poſtea, quando de phænomenis, ab eius radicis vel baccarum eſu prouenientibus, dicemus, clarius patebit. Alterum cognoſcendi principium odorem ſi perpendimus, viroſus ille eſt & nauſeabundus, caput aliquo modo diſturbans ſpiritusque confundens, at non eſt adeo penetrans & volatilis, ſed potius particulis viſcidis & terreis immerſus, vnde eſt, quod non ſtatim ab eius aſſumtione ſymptomata iamiam enarranda obſeruentur, ſed demum poſt horam fere elapſam virus ſuum

ostendit, sulphure nempe illo per coctionem & resolutionem in ventriculo a compedibus suis liberato & in actum deducto. Quod attinet ad tertium cognoscendi principium saporem, ille præsertim in exsiccata radice vel plane nullus est, vt ad insipida fere referri possit, nisi viscedo aliqua, cum aliquali, sed leui vi adstrinctoria percipiatur. Signatura quoque huius plantæ nihil certi nobis indicat, nec ansam ad vlteriores meditationes suppeditat.

## §. X.

Effectus itaque & phænomena, quæ a posteriori ab assumtione nempe huius plantæ & in specie radicis & baccarum eius animaduertuntur, & ab auctoribus variis magni nominis obseruata & annotata deprehenduntur, commemorare, non de nihilo erit, cui denique propriam nostram obseruationem subiungemus, & tunc forsan occasionem inueniemus vlterius in vires huius vegetabilis earumque rationes admodum occultas ratione mediante inquirere. Ita celeberrimus Wedelius libro de medicamentorum facultatibus pag. 169. asserit, bellamdonnam præter alia symptomata fauces præcludere, vt deglutitio fieri nequeat. Felix Platerus Tom. I. Praxeos pag. m. 517. sequentia adducit: Infusio radicis solani furiosi in vino facta & bibita subito omnem appetentiam etiam in summe famelicis euertit, id quod adscribit vi eius narcoticæ, quod & alia opiata medicamenta præ-

ſtare affirmat, qui appetitus deperditus, dato aceto, quod illorum vim infringere dicitur revocatur: ſed, non faciendum eſt malum, vt inde eueniat bonum, nemini enim ſuaderem, quod bulimo, ſeu appetentia immodica laboranti infuſum hoc propinaret, etiamſi certiſſimum & infallibile contra hunc affectum ſit remedium, nam mens tanquam pars principalior inde turbatur & confunditur ſenſusque hebetantur & facile damnum irreparabile induci poteſt & mors ipſa accelerari.

§. XI.

Sed ſi mentem ipſius Plateri penitius perſcrutamur, videtur, quod ille hiſtorice ſaltim hoc referat, nec vt tutum remedium commendet, ſed potius hunc in finem effectum eius adducat, vt ſibi caueant mortales a noxia hac radice. Alius adhuc præter hunc notabilis locus deprehenditur apud Platerum Tom. I. prax. cap. III. de mentis alienatione pag. 93, quem ex Matthiolo deſumtum eſſe dicit, verba eius ſunt ſequentia: Si radices ſolani maioris, quod lethale vocant in vino infundantur & dilutum detur ebriis ſimiles fiunt homines & fames & ſitis ceſſat, donec aceto ſumto vitium id corrigatur, ſed & ſomnus ſuperueniens id ſanat, quemadmodum ſomnus aliis narcoticis ſuperueniens, curat ſymptomata inde originem trahentia v. g. ebrietatem ſeu temulentiam & ſtuporem a tabaci

baci fumo prouenientem in inconſuetis. Ibidem etiam pag. præcedente explicando vim temulentiam ſeu cauſam ebrietatis inducentem occupatus, dum prius de vini & ſpiritus vini efficacia narcotica ſermo illi fuit, ita diſſerit: Hoc & aliarum plantarum ſucci poſſunt efficere, ſi plantæ illæ edantur, vel eorum ſuccus expreſſus vel decoctione elicitus detur, vti ſunt lupulus, a quo cereuiſia vim inebriandi quoque ſumit, & muſcæ, ſi hauriant, ſtupore correptæ moriuntur. Cannabis etiam, cuius pulvis, ſi cum vino detur citius inebriat, lolii ſemen & nigellæ, forte pſeudomelanthii in pane, quæ vitia frugum, ſi luxurient, panis ex hisce confectus ſoporoſos reddit, & continuo vſu multos paſſim, quod tamen non obſeruant, lædit. Huc vsque Platerus.

## §. XII.

Generoriſſimus Dominus G. Francke de Franckenau in Flora Francica rediuiua pag. 537. ſequentibus ſolani maniei vires & effectum deſcribit verbis, quæ ex eadem germano idiomate hic adducemus: Es iſt dieſes Solanum ein ſo gifftiges Kraut, daß wer davon die Beeren iſſet, den Gebrauch ſeiner Sinnen verlieret, raſend und doll, vor einen Beſeſſenen gehalten wird. Dergleichen Patienten ſagt Er pflegt man mit Wein zu curiren. Allegat Anton. le grand in Compend. Phyſ. pag. 76. quæ ta-

men curatio cum vino, nisi minus spirituosum & valde acidum sit, non admodum videtur conveniens.

## §. XIII.

Iulius Cæsar Baricellus a sancto Marco in hortulo suo geniali pag. m. 73. sequentem de solano syluatico habet obseruationem, quam ita recenset: Solanum sylvaticum, quod a multis belladonna dicitur, tantæ est immanitatis, vt insaniam & furorem hominibus, eius acinos comedentibus, inducat. Accidit cuidam, (referente Hieronymo Trago Lib. I. Histor. stirp.) qui in sylua plantam viderat, casus: Hic multos decerpsit acinos. & deuorauit, altera vero die in tantam insaniam & furorem deuenit, vt plerique illum a dæmone obsessum crederent. Intellecto tamen morbo vinum fortissimum a Trago furioso est propinatum, quo facto consopitus, paulo post conualuit & absque læsione vixit. Idem eandem de lolio, quam habet Platerus obseruationem ex Galeno Lib. I. de alimentorum facultatibus adducit, quod nempe panis in quo lolium fuerit stuporem quendam & veluti temulentiam citantibus pariat cum somno inexpugnabili. Etenim (sunt verba Galeni) cum anni constitutio praua aliquando fuisset, lolio tritico affatim innasci contingit, quo haud separato, quod paucus esset tritici prouentus, statim quidem multis caput dolore

cepit,

cepit, ineunte æstate, in cute multorum, qui comederant, vlcera & alia symptomata sunt subsecuta, quæ succorum prauitatem indicabant. Cui lolio acetum quoque remedium esse iudicatur. Quare, tum a tritico, tum ab aliis seminibus cerealibus diligenter lolium est separandum.

§. XIV.

Quia per accidens quasi lolii mentionem hic fecimus, non plane inutile erit, si breuem hic faciamus digressionem, pauca de lolio dicturi, vt pateat, quale sit hoc lolium, de quo sermo est. Grammatici quidem & Poetæ vt plurimum hac voce pro quauis herba inutili & sponte in agris pratis & viis prouenienie vtuntur, vnde notum illud Virgilii:

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.

Medici vero & ex his præcipue botanici in sensu strictiori hanc vocem accipiunt, intelligentes peculiare vegetabilium genus, quod prouenit in agro cum ipsis frumentis, cuius radix & culmus cum ipsius secalis culmine conuenit, & spicam quoque gerit, minorem tamen cum seminibus seu granis secali minoribus, in tunica dura contentis. Ipsa huius plantæ figura deprehenditur apud Chabræum in sciagraphia stirpium pag. 178. qui vocat lolium, phoenicem, gramen loliaceum Germ. Dort, Lülch apud nos Drespen. A nonnullis iuxta eundem au-

ctorem dicitur triticum temulentum & frumentum fatuum. Obſeruatur etiam nonnunquam ſine ariſtis. Idem Chabræus ex Galeni ſententia adducit, quod naſcatur ex ſeminibus hordei & tritici corruptis vel in deterius mutatis, ſolo præſertim vliginoſo, per cœli, menſibus potiſſimum hybernis, tempeſtatem humidam; &, vt olim iam a Theophraſto proditum rurſum in triticum vel ſecale redire creditur eorum hæc peſtis, hoc vitium. Porro inquit Chabræus calefacit lolium in principio tertii ordinis, deſiccat in fine ſecundi. Cum eſt in pane, celerrime vertigines, torpores & temulentias facit & caliginem oculis affert: Gallinis & alitibus nocet nihil. Variis vero modis admotum & impoſitum, valet ad ſtrumas, nomas, putreſcentia vlcera & gangrænas. Quin & fronti ex axungia admotum ſuas ipſas noxas pellit. Sic, vt ait Plinius, in aliquo ſunt vſu ipſæ frugum peſtes.

§. XV.

Redeamus autem in viam ex qua parumper ſumus digreſſi. Audiendus adhuc eſt de belladonna Ioh. Thalius Medicus quondam & Phyſicus Nordhuſanus, qui ſequentem obſeruationem in Hercyniis Saxo-Thuringicis nobis tradidit: Fuit hic non multis abhinc annis inquit tonſor quidam, qui (vt ſolet hoc genus hominum admodum temerarium eſſe, & per mor-

tes

tes hominum vt ille ait, impure experimenta facere.) cuidam Stolbergensi ciui, sparsis per vniuersum corpus, nescio in quo morbi genere, doloribus, iisque misere excruciantibus, laboranti, huius plantæ foliorum maiorem copiam in decoctione quadam propinauit, præsertim cum circumstantes varia ipsisque nota auxilia conciliandæ quietis gratia, frustra autem tentassent, tandemque effecit, vt æger ille non solum quietem caperet, verum etiam omnium istorum dolorum oblitus, lethali prorsus somno diem suum clauderet.

## §. XVI.

Omnibus his consentit Petrus Andreas Matthiolus in editione germana Ioachimi Camerarii vbi ita loquitur: So man die Beeren des grossen Nachtschattens isset, machen sie denselben Menschen so fast doll und unsinnig, als hätte ihn der Teuffel besessen, oder bringen ihn ja in tieffen unüberwindlichen Schlaff. Und ich habe es selber erfahren, daß etliche Knaben, so diese Beere für Weinbeere gegessen haben, gestorben sind; Denn sie haben ein schön und lustiges Ansehen, damit sie einen Unwissenden leicht locken.

## §. XVII.

Missis vero aliorum auctoritatibus, ne ex

eorum libris ſolum ſapere videamur, & cum eorum ſummorum virorum obſeruationes non omnes ſint propriæ, ſed pleræque alienæ, ad ipſum naturæ librum propriamque obſeruationem & experientiam, quam neſcio, quo infelici fato in praxi habuimus, nos conuertimus, hiſtoriam prius, quæ anſam de hac re aliquid ſcribendi nobis præbuit, enarraturi. Vir quidam, cantor in templo capitulari Romano-Catholico St. Crucis, quod hic eſt Nordhuſæ accedit ad nos, laborans ſcorbuto calido cum tuſſi ſicca, qua aliquando ſanguinem vel cruorem ſanguineum ſputo permiſtum eiecit, cui præter alia medicamenta præſcripſimus formulam ſequentem, quibus ſpeciebus pro Decocto pugillari loco Thee vteretur, iuſſimus.

℞ Rad. trifol. fibr.
cichor.
liquir.
helen. ad ℥iii.
Herb. chelidon. min.
cochlear.
hepat. nob.
veron.
polygon.
ſcord. ad Mß.
Summ. fumar.
Flor. ſcabioſ.
papau. err. ad pii.
Cort. Winter.
cappar. ſ.

Cort.

Cort. ſaſſafr. ad ℥iß.
Ciaui. acut.
ſ. fœnicul. ad ℥i.
C. C. d. ad Chart.

Harum ſpecierum pi. ex præcepto noſtro, vel ſingulis matutinis vel quoque ter in hebdomade ad menſuram ſemiſſem aquæ feruentis recipiebat, inde dum bene ſeſe habuit, altera vice accedit ad nos, cum petito, vt iterum eædem ſpecies illi præſcriberemus, id quod factum. Abit atque vir ille ex muſæo noſtro in officinam pharmaceuticam, vt præparentur ſpecies præſcriptæ. Altero mane easdem adhibet eodem modo, vt priores & ſimul vxor eiusdem cum eo bibit; poſt horam vix elapſam, cum ratione officii ſui in templum ſeſe inferre organoque muſico canere cogebatur, vertigo eum obruit adeo, vt vix capite erecto perſiſtere posſit. Obiecta videbantur duplicia, ipſa mens erat turbida & alienata, referebat enim es ſey ihm gar ſo artig, er wiſſe es ſelbſt nicht wie ihm ſey, als ob er ſich betruncken hätte: Pedibus enim quaſi ſuſpenſis & in altum ſublatis, incedebat, ac ſi quid in via poſitum eſſet impedimento ad inſtar ebriorum, aderat laſſitudo artuum, facies pallebat, ſaliua in faucibus incraſſata & in lingua quaſi incocta & inſpiſſata hærebat, erat enim viſcida quemadmodum gluten & alba, eaque viſciditas tanta erat, vt ſemper liquida aſſumere cogebatur, ſolida deglutire non poterat, ſomnolentia vrgebat, nauſea

cum

cum ſtimulo ad vomitum, præcipue eum cibum aſſumere vellet, vrgebat, ipſaque vrinæ excretio erat intercepta. Eadem plane ſymptomata vxor patiebatur, quæ ſimul, vt decumbat, coacta fuit, durauit hoc per integrum diem & amplius.

## §. XVIII.

Diris hisce ſymptomatibus perculſus vir redit ad nos, quærens quidnam illi ordinauiſſemus, ſiquidem poſt horam ab aſſumtione decocti huius theezantis (vt ita loquamur) ſymptomatibus paulo ante adductis fuiſſet correptus, putabat enim illi vna cum coniuge ſua eſſe moriendum. Hæc percipientes ſpecies in pharmacopolio præparatas apportari curauimus, an forſan aliquid noxium deprehendere potuiſſemus, ſed fruſtra, nam variis inter ſe miſtis & minutim conciſis herbis & radicibus, nihil cognoſcere poteramus. Interea tamen & ipſe æger & Pharmacopoeus agnoſcere cogebantur, quod culpa non in Medicum, ſed in Pharmacopoeum, vel eius potius negligentes diſcipulos redundaret; Nos enim formula in officina aſſeruata & in §. præcedente adducta excuſabat. Cum vero verbis huius Cantoris minus fidem adhiberemus, timentes, ne fallacia non cauſæ vt cauſæ ſubſit, nimis curioſi periculum faciebamus & decoctum ex iisdem ſpeciebus nobis præparari curabamus, de quo in eius præſentia ipſi tres

hau-

haustus, so viel nehmlich in 3. Thee-Schälichen gehet, assumebamus simul amicum quendam Theologiæ studiosum, qui tunc temporis nos conueniebat persuadentes, vt haustulum, ein Thee-Schälichen voll assumeret. Hora vix ruebat, cum eadem symptomata, vix altero die plane remittentia, tanquam nimiæ curiositatis præmia experiri cogebamur.

## §. XIX.

Lector amice, perpendas quæso, quanta sit vis in herbis! tantillum enim radicis bellædonnæ tantas turbas in corporibus duorum hominum ciere voluit. Comperimus enim postea, quod ex negligentia discipuli cuiusdam artis pharmaceuticæ, qui verno tempore radices & herbas aliquo modo concisas, vt moris est, & mundatas in tabulatum, quod est in summo fastigio tecti ad exsiccandum, apportauerat, grauissimus hic error originem traxerit; Non enim ille, vt decet, vel ex ignauia vel ex nimia confidentia in se suamque memoriam singulis collectis nomen adscripsit, vnde factum est, vt radix bellædonnæ cum radice cichorii forsan adiacente fuerit permixta vel prior pro posteriori habita & vno eodemque receptaculo deinceps fuerit asseruata. Ille autem, qui hoc recipe, vt vocant, concinnauerat, culpæ omnis erat expers & rei ignarus, ex eo enim receptaculo, quod signatum erat nomine radicum cichorii,

præ-

præſcriptam cichorii radicem, nihil mali ſuſpicans, deſumſit. Monendi itaque ſunt pharmacopoei & ſimul ii, quibus inſpectio & cura pharmacopoliorum commiſſa eſt, ne, etſi leue ſit & videatur opus radicum & herbarum collatio & aſſeruatio, ſolis diſcipulis interdum ſatis rudibus & negligentibus, hoc committant, ſed, vt ipſi interdum tabulata, vbi exſiccantur herbæ viſitent, & iubeant, vt ſingulis etiam notiſſimis in tabulato diſperſis creta nomine adſcribant.

§. XX.

Si nunc tam exigua huius radicis quantitas tantas noxas corpori noſtro inferre poteſt, leui modo ſaltem in aqua feruida extracta, quidni contingeret, ſi in ipſa ſubſtantia & maiori in doſi aſſumatur, inde non fieri poſſit non, quin mortem induceret; notum enim eſt, quod in infuſis & decoctis dupla ſemper requiratur doſis, exemplo rhabarbari & foliorum ſennæ: Quando enim computationem inſtituimus, tunc vix in pj, qui fuit doſis de his ſpeciebus ℥ß vel ad ſummum gr. xii. contineri potuerunt; Siquidem tota ſpecierum farrago præter propter ex XVIII. vel XX. pugillis conſtabit. Memini iam, eundem caſum contigiſſe, priusquam hoc fatum ipſi habuimus clariſſimo atque doctiſſimo D. Doctori Valentini S. N. C. Collegæ & Practico t. t. Nordhuſano, nunc ni fallor Profeſſori Medicinæ Gieſſenſi meritiſſimo, amico noſtro hono-

nora-

noratiſſimo, qui eandem cichorii radicem in paulo maiori pondere præſcripſerat, vbi idem in pharmacopolio error, quem deinde deteximus, fuit commiſſus, vnde etiam perſonæ illæ, quæ decocto pugillari ab eo præſcripto fuerunt vſi iisdem & atrocioribus adhuc ſymptomatibus erant afflicti, ſiquidem maiorem quantitatem harum radicum continebat præbium vna vice ſumendum, cauſam vero huius erroris, etſi ab hyoſcyami radice hæc prouenisſe coniiciebat, experiri non potuit, donec tandem ab ipſo Pharmacopoeo nobis occaſionem inquirendi præbentibus, poſtquam idem experiebamur fatum, error ſatis grauis fuit detectus & omnes hæ falſæ & ſpuriæ cichorii radices cum bellædonnæ radicibus confuſæ in fimum & ſtercus fuerunt coniectæ.

## §. XXI.

Recte itaque venenis adſcribitur hæc planta, ſiquidem nunquam ſine ſpirituum turbatione mentisque alienatione conſequente adhibebitur. Vnde porro concludimus, phænomenis antea probe penſitatis, quod narcoticum ſit admodum viroſum, minus blandum anodynum, ſed ſulphure conſtet vaporoſo ſpiritus animales tanquam animæ rationalis portitores, ſiue fluidum nerueum, ſi ita cum aliis loqui placeat obnubilans, turbans, incraſſans & in motu ſuo alias ſecundum natura celerrimo retardans, vel ſi doſi

dosi maiori assumatur plane sigens. Inde sensus stupidi, vertigo, visio illa erronea, quod obiecta scil. visa sint duplicia; virium languor & ipse faciei pallor ortum trahunt. Dequibus tamen pluribus dicendum erit capite sequente.

## §. XXII.

Belladonna itaque minus est recepta in classem anodynorum vel narcoticorum, praecipue internorum, siquidem tutiora extant, vt opium, mitior quoque deprehenditur ipse hyoscyamus, nisi forsan in vsum aliquem externum eandem reuocare velimus, vbi tamen facile quoque exesse poterit, prostant enim alia experientia diu comprobata, quae exterius tuto leuamen afferunt doloribus, partim emolliendo, maturando & relaxando, partim ipsa vi anodyna, vt hyoscyamus, cicuta, solanum officinarum &c.; adeo vt minus solliciti esse debeamus hodie, vt inueniamus de nouo medicamenta, sed potius ex copiose inuentis optima & tutiora erunt eligenda. Sed audio quasi quendam obloquentem, si non habet vsum haec planta neque in culina neque in medicina, hoc est, si non sit alimenti, nec medicamenti vice adhibenda, sed potius noxia sit & virosa, quid quaeso opus est tanta sollicita indagatione & descriptione, haec omnia frustra videntur instituta? Respondetur: Aeque necessarium est Medico ea scire & satis cognita habere, quae

corpori humano nocent, vt ab iis cauere & noxam ſimul auertere, vel, ſi forſan damnum ex illis corpori illatum ſit, vt ei conuenienti modo obuenire poſſit, quam ea noſcere, quæ ad conſeruandam ſanitatem præſentem & amiſſam reſtituendam conducunt. Valet etiam hic illud tritum: Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſtis. Non minor itaque laus eſt damnum auertere, quam illatum reparare.

## CAP. III.

## De Bellædonnæ Antidotis.

### §. I.

Antidota, hoc eſt, talia medicamenta, quæ virtute quadam ſpecifica venenis reſiſtunt, earum malignitatem vel præcauendo, vel anticipando vel corrigendo, agunt, ſuntque prout venena vel generalia vel ſpecialia. Generalia omnium generum venenis reſiſtere creduntur; Specialia vero huic vel illi ſaltim veneno medentur. Illa communiter audiunt bezoardica & alexipharmaca, hæc ſpeciatim Medicis antidotorum nomine veniunt. Medentur alexipharmaca generalia venenis generalibus vel ab extra corpori illatis & per os aſſumtis, vel quoque intus genitis, quæ venena intus in corpore noſtro genita morbos malignos efficiunt, quibus alexipharmaca potiſſimum reſiſtunt. Porro alexipharmaca conducunt in genere in ve-

nenis assumtis, in quibus speciale nondum innotuit antidotum, optime se quoque gerunt in morsibus animalium rabidorum & ictibus animalium venenatis.

## §. II.

Sed instituti nostri ratio non permittit, vt plura hic adducamus de alexipharmacis & bezoardicis generalibus, quamobrem ad antidota specialia nos conuertimus, ex quorum classe alia venenis mineralium admodum corrosiuis, alia venenis animalium vtplurimum fermentificis, alia venenis vegetabilium vaporosis & spiritus animales obnubilantibus opponuntur. Omittimus vero, vt euitemus omnes ambages & breuitati studeamus hic antidota mineralium & animalium, de solis vegetabilium venenis aliquid præmissuri, & tandem in specie de solani furiosi antidotis, hactenus cognitis, dicemus. Placet tamen adhuc semel hic præmonere verbis beati Wedelii Lib. II. S. II. Cap. V. de antidotis specialibus pag. 338, quod non temere credendum, vt de venenis, sic de antidotis quoque scribentibus, vnde vastitas maxima & confusio cum ignorantia enata sunt. Itaque non omnia præsertim veterum tradit, a vsu comprobata inueniuntur, ex quibus tamen selectiora & in praxi experta h. l. proponemus.

§. III.

In genere omnibus fere vegetabilium venenis ſulphure craſſo viſcido vaporoſo ſal volatile continenti conſtantibus opponuntur acida ſecundum Wedel. l. c. pag. 342, Platerum locis in cap. præced. §. X. & XI. citatis, aliosque, ſiquidem acida & præ aliis acetum vini bonæ notæ acerrimum, ſal illud volatile, a compedibus ſuis, quibus antea, dum ſulphuri viſcido adhuc immerſum erat, nunc liberatum optime figunt, domant & corrigunt, & humorum craſſitiem non ex venenorum horum frigiditate, vt putarunt veteres, ſed potius a ſalis huius volatilis nunc expanſi caliditate & ſulphuris immaturi viſciditate & craſſitie prouenientem incidunt & plane inuertunt.

§. IV.

Satius itaque ex adductis & obſeruatis phænomenis cum conſtat, quod ſulphure eiusmodi vaporoſo & viſcido in receſſu ſal volatile continente gaudeat belladonna, ita recte tanquam principale antidotum, illi opponitur acetum, ſiue illud ſit commune vini acetum vel ſimplex vel deſtillatum, vel quoque additis alexipharmacis compoſitum redditum, vt rutæ, ſcordii, calendulæ; lauendulæ; bezoardicum &c. quo dato appetitum deperditum revocari ſcribit Platerus l. c. & elegantem de hac re habet locum

Wedel. lib. de facultat. medicamentorum ſimpl. II. S. II. Cap. II. de antidot. ſpecial. pag. 169.

§. V.

Vinum alii commendant vt D. Georg Francke de Franckenau l. c. & Iulius Cæſar Baricellus l. c. adducit, quod Traius vinum fortisſimum, illi qui baccas bellædonnæ aſſumſerat antidoti loco dederit, quoaſſumto conſopitus æger paulo poſt conualuit. Macaſius in promptuario materiæ medicæ pag. 381. itidem commendat vinum dulce. Sed videtur hoc antidotum ex falſa illa hypotheſi enatum, quod veteres ſtatuebant, narcotica & ſenſus ſtupefacientia illud præſtare frigitidate ſpiritus congelando & ſic incraſſando, vnde forte vinum fortiſſimum propinarunt, vt ſpiritus hi coagulati & in motu ſuo præpediti iterum in motum cientur. Sed ſulphuris huius naturæ plane contrariatur hæc veterum ſententia, qui potius calidus eſt & effectus edit calidos quam frigidos. Vnde recte addit Traius, quod ab aſſumto vino æger fuerit conſopitus, tale enim additum tali, reddit illud magis tale: Omne enim vinum præcipue ſpirituoſum & forte continet ſulphur quoddam anodynum ebrietatem & ſomnum ad minimum vel blandiorem, vel profundiorem pro re nata inducens, & ſic ex ſomno ſubſequente natura, robore ſuo recuperato, venenum hoc vicit, vinum enim ſolum non eſt

aptum

aptum natum ad corrigendam vim huius veneni. Minus itaque conuenire putamus vinum, nisi sit valde acidum & simul dilutum, minus spirituosum, quo pacto diluendo & sulphur vaporosum sal volatile continens inuertendo conducere aliquo modo potest.

§. VI.

Theriaca propter suam caliditatem & opium quod recipit, vix locum habet, nisi prout alia generalia alexipharmaca ad expugnandam materiam illam malignam M. S. & spiritibus ipsis iamdum communicatam adhibere velles; Melius v. operabitur h. l. si cum aceto detur, quo ipso eius caliditas infringitur. Sed alia hunc in finem media & temperatiora alexipharmaca longe praeferimus, vt ess. alexiph. Stal. Tincturas bezoardicas variorum datas cum diluentibus.

§. VII.

Praeter haec Macasius in Promtuario Materiae medicae Lib. posteriori Cap. II. contra venena vegetabilium pag. 381. contra solanum furiosum commendat astacos h. est cancros marinos, nostris fluuiatilibus maiores & simul salsos, & conchylia, quid vero hic praestare debeant minus cognoscere possum. Commendantur alias quidem ob vim refrigerandi & humectandi hecticis & tabidis & simul difficilioris sunt con-

coctionis. Ab aliis commendantur ad excitandam Venerem languidam in maribus; vbi tamen piper & aromata, quibus præparantur, maximum addunt pondus. Schroederus in Pharmacopoea Medico-Chimica Lib. V. Claſſ. III. de animalibus, aſtacis & cancris virtutem refrigerandi, humectandi, dolorem ſedandi & ferocientes ſpiritus figendi adſcribit. Vnde etiam omne ſolamen, quod afferre poſſint hoc in caſu a virtute refrigerandi & humectandi dependere deberet, quo ſpiritus & humores in motum irregularem redacti iterum placantur & ſulphur vaporoſum aliquo modo compeſcitur. Amygdala amara ab eodem auctore l. c. commendata præter vim diureticam qua pollent hic quoque parum vel nihil efficient, locum itaque habent in vrinæ excretione denegata.

## §. VIII.

Quid de emeticorum vſu ſtatuendum ſit paucis declarandum reſtat. Parum vel nihil hæc præſtabunt, niſi ſtatim ab aſſumtione, antequam reſoluatur huius plantæ ſulphur vaporoſum & expandatur, propinentur, vbi tamen difficilius aſſumtio huius veneni agnoſcitur, quam curatur; Si vero caſus accideret, quod quis baccas vel radicem huius vegetabilis præcipue in forma ſolida acceperit & ſtatim error innoteſcat, tunc emeticum illico datum hoc venenum ſimul cum reliquis in ventriculo contentis eliminabit

nabit & virus eius vel anticipabit vel plane impediet; si vero in forma liquida e. g. in decocto vel infuso fuerit assumtum ventriculo ab aliis cibis vacuo, tunc quia liquida facilius ad M. S. penetrant, nisi costatim momento, quo fuerit acceptum, detur emeticum, frustra propinabitur. Idem statuendum est, si post horam vnam vel alteram elapsam symptomatibus dictis iam praesentibus, quis dare vellet emeticum, ille idem hoc medicamento praestabit, ac si aethiopem lauaret.

## §. IX.

Restat adhuc explicanda paucis methodus curandi nostra, quam adhibuimus ad curandum haecce symptomata, ab erronea huius veneni assumtione experta, sequentibus indicationibus innixa:

1. Peregrinum illud quocunque modo assumtum ex ventriculo & ipsa quoque M. S. eliminandum est & exturbandum.
2. Quod superest adhuc in M. S. expansum & spiritibus animalibus communicatum corrigendum & inuertendum.
3. Viscididitas humorum serosorum & praecipue saliuae, quae ipsum impedit sermonem & deglutitionem incidenda est & diluenda.
4. Reliquis symptomatibus ex loculis suis occurrendum.

§. X.

Primæ indicationi aliquo modo ſatisfaciunt laudata emetica, ſi nempe ſtatim antequam malitiam ſuam exerit hoc venenum exhibeantur, tunc ablata cauſa vel auertuntur plane vel anticipantur commemorati effectus & ſymptomata recenſita: ſin vero tempus aliquod fuerit præterlapſum, tunc vt iam diximus §. VIII. fruſtra adhibentur, cum ex M. S. & ipſis ſpiritibus hanc inductam malignitatem minus excutere queant. Locum tunc potius habent difflantia remedia, quæ alias diaphoretica audiunt, & κατ' ἐξοχὴν bezoardica hic conueniunt, minus vero volatilia nec quoque fixiora, ſed mediis potius inhærendum, qualia ſunt Tinct. bezoard. Wedel. Michael. Eſſ. alexiph. Stal. Liqu. bezoard. Eſſ. balſam. Hoffmanni, theriacal. Rolf. Sleuogt. Mixtur ſimpl. & ſimilia. Non vero ad ſudorem cogendi ſunt ægri, ſed ſufficit, ſi ſaltem difflatio per vdorem vel inſenſibilem tranſpirationem contingat, vnde ab his aſſumtis motus & deambulatio imperanda.

§. XI.

Secundam indicationem explent acida, quæ apta nata ſunt ad ſulphur illud vaporoſum in centro detinendum, eius ſal volatile plane inuertendum & corrigendum feruoremque M. S. & ſpiritibus inductum extinguendum & compes-

pescendum. Quæ hic commode adhiberi queunt sunt acetum vini simplex, destillatum, bezoardicum vel compositum, vel ex simplicibus paratum, addita vel omissa theriaca. Ita quoque succi acidi, vt citri, berberum, rubi idæi, & similia, quæ omnia si diluuntur aquis convenientibus bezoardicis & cephalicis vehiculum præbent commodum essentiarum §. præcedente commendatarum. Ex bellariis, quæ cibis opponuntur acida & acidula optime hic quadrant, vt acetaria ex rad. cichorii, scorzoneræ, turionibus tenellis asparagi, lupuli, lactuca, chelidonio minori, dracunculo &c. Cerasa acida aceto vini & saccharo condita, radices betæ conditæ, cucumeres aceto conditi ipsumque sinapi molitum vt apponi solet.

§. XII.

Hæc dicta simul tertiam indicationem respiciunt, siquidem acida visciditatem humorum serosorum & ipsius saliuæ h. l. optime incidunt, detergunt & infringunt, feruoremque solantur & mitigant. Accedere vero debent diluentia, qualia sunt potulenta nobis consueta minus ignea & spirituosa, vt cereuisia tenuis lupulo non minus impraegnata, cereuisiæ albæ, decoctum herbæ Thee, veronicæ, betonicæ teucrii veri aliaque decocta medicata acidulata vt decoct. hordei cum liquiritia, C. C. & scorzonera, addito succo citri vel limonum rec. vel guttulis a-

liquot ſpiritus vitrioli, nitri vel ſalis. Ita quoque potui inſtillari poſſunt tincturæ acidulæ, roſarum, violarum, bellidis, papaueris, clysſus antimon. acidus, ſpiritus nitri dulcificatus & ipſa quoque nitroſa cum vel ſine præcipitantibus potui indita proſunt, vt ſunt nitrum crudum, antimoniatum, arcanum duplicatum & ſimilia.

## §. XIII.

Cauſa his adhibitis ablata ſymptomata inde dependentia facile cedunt; ſin vero vnum & alterum forte remaneat vel nimis vrgeat, tunc remediis conuenientibus & alias conſuetis ſuccurrendum v. g. vrgente vertigine cephalica interne & externe adhibenda vt pulv: cinnabarini, vel ex ſpecif. cephalico Michael. c. pulv. lign. aloes & nitratis, addito oleo deſtillato anthos, citri veri &c. detur cum aqua ceraſor. nigr. vel tiliæ, vel liliorum conuallium acidulata, ita quoque eſſentiis cephalica addi posſunt. Externe balſama cephalica, balſ. vitæ, ſpiritus cephalici ſimpl. & compoſiti, epithemata frontalia &c. conueniunt & ſomno tunc indulgendum, qui & hoc loco eſt quaſi panacea. Deglutitio difficilis cum ſermone impedito optime corrigitur diluentibus copioſe aſſumtis, quibus ipſis præcipue ſi acidulus ſit potus vel medicamentis acidulatus vrina reſtitans quoque promouetur. Nauſeæ vel inclinationi ad

vomi-

vomitum, inani tamen vrgenti oesophagi titillationi aliisque machinamentis si promouere illum cupis subueniendum, vel ipsum pro re nata in medium proferendum emeticum. Ita adiuuante Deo omnis noxa præcauetur, vel si iam adsint dira dicta symptomata, cito, tuto & iucunde illa curari queunt, sine læsione vlla vel sensuum hebetudine mentisque & memoriæ imbecillitate remanente, nisi forsan maiori præbio assumtum fuerit hoc solanum furiosum & error maior fuerit commissus.

## CAP. IV.

## De Phænomenorum rationibus.

§. I.

CUm nihil sit, quod Medicum magis decoret & studiis suis ornamentum addat, quam si in omnibus suis gestis & obseruatis attendat ad τὸ διότι, & nihil quod ab eo obseruatum est prætermittat, quod non de ratione sit sollicitus. Ita & nos huius memores tribus saltim adhuc verbis phænomenorum §. XVI. Cap. II. adductorum rationes quantum fieri potest explicabimus.

§. II.

Inter illa phænomena sese nobis primo loco sistit vertigo, dubio procul a sulphure hoc vaporoso, impuro, crasso, quod spiritus animales

les obnubilat & incrassat, orta; sanguinis enim circulo quocunque modo turbato, spirituum motus etiam in consortium trahi necesse est, & quando sulphur hoc viscidum in ventriculo & ipsa M. S. a tricis suis, quibus hactenus inhæsit sensim sensimque liberatur, resoluitur & subtilisatur, tunc consequenter spiritus animales hoc peregrino itidem inquinantur, quod deinde particulis suis crassioribus actiuitatem & mobilitatem eorum maximopere infringit. Accedit vis incrassans humores in saliua spissa notata, vnde eadem ratione spiritus animales aliquo modo figi & in motu retardari, adeo, vt motus vndulatorius vel quasi consurgat, credibile est. Vt taceamus vim aliquo modo stypticam sed leuem, qua mediante nerui & cerebri poruli coangustantur & transitus spiritibus alias liber difficilior redditur.

## §. III.

Spiritibus itaque animæ portitoribus stationem suam deserentibus & quocunque modo in via regia præpeditis, & instrumento, quo opifex opificium suum operari debet inepto & deprauato, quid aptum eadem efficiet? Pari modo comparatum est cum anima nostra, quæ spiritibus vel fluido nerueo & cerebro vtitur vt instrumentis, his deturbatis & in motu suo confusis, confusæ quoque oriuntur ideæ, obiecta apparent duplicia, inuersa & prout eorum motus est vndulatorius ita quoque obiecta repræ-

sentant

ſentant animæ tremula vel in gyrum coacta adeo, vt nihil diſtincte cognoſci queat, inde quoque ipſa mentis alienatio conſequitur, ſenſus enim interni eodem modo deprauantur ac externi.

§. IV.

Artuum & totius corporis laſſitudo, quam itidem annotauimus innuit & demonſtrat, quod reliquum genus neruoſum infra caput poſitum eodem modo affectum ſit ac cerebrum, quo ipſo tamen non negamus, quod ſanguinis craſſities idem efficere queat, dum ipſius motum maximopere retardat.

§. V.

Faciei pallor dubio procul ab ipſa ſanguinis craſſitie, eiusque motu per vaſa capillaria, in cutis ſuperficie reperiunda, cohibito erit deducendus, eodem plane modo ac videmus in lipothymicis atque ſyncopticis, vbi itidem accuſatur ſanguinis grumeſcentia, quæ eius circulationi obicem ponit.

§. VI.

Præcipuum ſymptoma, quod a bellædonnæ radicis improuida aſſumtione a nobis animadverſum eſt, ſui adhuc meretur conſiderationem, eſt hoc ſaliuæ tanta craſſities atque viſcedo, vt glutinis ad inſtar hæreat in lingua & ipſis faucibus, adeo, vt ſolidorum deglutitio, ad quam neceſſario ſaliua tenuis & fluxilis requiritur, vt

cibus

cibus eadem impastetur & simul transitus per gulam facilitetur, fieri non possit. Vt hoc quantum fieri potest dilucidemus, notandum

1. Bellamdonnam ad exemplum aliorum narcoticorum & stupefacientium hoc non præstare frigiditate sua, secundum opinionem veterum, vt sic humores & spiritus congelando & figendo incrasset, sed,

2. Hanc saliuæ vt & aliorum humorem in corpore crassitiem fieri a partium spirituosarum ipsorumque spirituum animalium ligatione & in motu retardatione, adeo, vt ipsi humores vitales sufficiente spirituum copia non irrigentur & impraegnentur, vnde debitus fluor & agilitas eorum compescitur.

3. Contribuere lentorem sulphuris radicis belladonnæ, quod quando resoluitur atque expanditur in massa sanguinea non solum illam & spiritus animales, sed & reliquos humores ex M. S. oriundos vaporositate & lentore suo inquinat, suamque illis viscedinem communicat, vt taceamus.

4. Glandularum saliualium & colli eorumque pororum ob spirituum influxum impeditum occlusionem, quæ amplius munere suo secretorio & excretorio, donec impedimentum hocce remotum sit, non rite funguntur, &

5. Ipsa huc referri potest neruorum motoriorum in musculos gulæ constrictorios & dilatantes currentium ad munus suum perficiendum inepti-

eptia

eptia ; a ſpirituum eorum incolarum confuſione , deturpatione & motu irregulari proveniens. Quibus poſitis vtique deglutitio redditur difficilis, ne

6. De occulta & propria quadam huius veneni qualitate aliquid meminerimus.

§. VII.

Somnus obrepens dictas itidem agnoſcit cauſas, in ſpecie pororum cerebri occluſionem a vaporoſitate ſulphuris huius narcotici ortam, eorumque collabeſcentiam ob ſpirituum ligationem & in humores immerſionem.

§. VIII.

Nauſea & ſtimulus ad vomitum inde prouenit, quo menſtruum ventriculi pari modo ac ſaliua ſit inquinatum & incraſſatum, vt appetitus plane fuerit depreſſus nec ſtimulus ſentiatur , & ſi quid præter voluntatem ad deglutiendum offeratur, tunc ob tranſitum denegatum deficiente liquido æger cogitur, vt aſſumtum reiiciat ipſa gula etiam non rite officium præſtante.

§. IX.

Vrinæ interceptio & mictio pauca obſeruata partim viſcoſitati ipſi ſero inductæ, vt per poros renales transcolari non queat, partim ipſorum pororum conſtrictioni vel potius collabescentiæ ab influxu ſpirituum denegato mea quidem ſententia recte tribuitur, vt ita humoris huius obſcoeni debita ſecretio non vt decet, fieri poſſit.

§. X.

§. X.

Vnicum adhuc dubium reſtat, quod vt debito modo explicetur, non erit de nihilo, quomodo ſcilicet in parua doſi tantas in corpore ærumnas ciere poſſit hoc venenum? Reſoluit hanc quæſtionem eleganter celeberrimus Wedelius in Amoenitatibus Materiæ medicæ pag. 437, vbi illi ſermo eſt, de opiatorum & anodynorum efficacia, quod ſcilicet in minori doſi data ſomnum tamen concilient; ſulphur enim inquit vaporoſum in minimo agit, calore & humore mediante. Nihil tam diffuſiuum ſui eſt ac ſulphur, alas adeptum, ſeu ſal volatile oleoſum, ſulphur volatile, vbi eorum, quæ in minimo agunt exempla quoque adducit, vt moſchum in minimo odorem ſeruantem, ♁ emeticum & ipſa mercurialia minori doſi ſumme actiua: Si itaque ſulphur blandum papaueris noſtratis & ſucci illius papaueris exotici, opii nempe, minori præbio operationem ſatis ſenſibilem efficiat, quidni de ſulphure huius veneni minus blando, craſſiore & virulento expectandum erit. Atque ita huius noſtræ tractatiunculæ vela nunc contrahimus lectorem beneuolum enixe rogantes, vt quæ hinc inde ſtatuta ſibi forſan non placentia nec ſatis erudite explicata æqui bonique conſulat, vel data occaſione erroris forte commiſſi nos amice admoneat, vel denique eruditione ſua præſtantiore mendas noſtras emendet.

F I N I S.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark